Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

audiendo secum fere duobus annis propter dei amorem retinuit. Temporibus vero Otilonis ducis Bawarorum qui tunc cum tota Norica provincia subiectus fuit predicto regi, Salzburgensis ecclesia que antiquo vocabulo Iuvavo dicta fuit Iuvavia proprio carebat episcopo. Sed rex Pippinus princeps Romanorum christianissimus ad incrementum ecclesie dei non modico suspirans desiderio, episcopatum Salzburch pro debito regie magnificentie sancto concessit Virgilio. Eumque prenominato duci Noricorum utpote amico karissimo transmisit summo cum honore excipiendum. Vir itaque domini dissimulata ordinatione ferme duorum annorum spatiis habuit secum laboris et corone participem episcopum comitantem de patria nomine Dobda ad persolvendum episcopale officium. Postea ad instantiam populi necnon assidua coepiscoporum suorum exhortatione inductus ab ipsis unctionem episcopalem suscipere consensit. Ordinatusque est anno nativitatis domini septingentesimo LXVII. XVII. Kal. Julii. Deinde pro iure commisse dispensationis auctoritas exigebat quod ore die noctuque docuit, operis exhibitione implere non cessavit, in vigiliis, in ieiuniis, et in karitate demum non ficta. Ea etiam que ad exterioris pertinebant utilitatem provisionis tanto sollerti promovebat, quanto status Salzburgensis ecclesie tunc nuper inchoatus et exiguus, postea deo cooperante ut liquido apparet religione et possessione famosissimus id expostulare videbatur. Qui ipse fabricam monasterii immenso opere et egregia dispositione a fundamento construxit. Corpusque sancti RODBERTI quod post obitum suum in ecclesia beati PETRI principis apostolorum requievit una cum sede episcopali que inpretaxata ecclesia per aliquot annos extitit, divina commonitus inspiratione transtulit in eum videlicet locum, in quo usque ad presentia tempora perduravit. Temporibus vero gloriosi regis Francorum Dagoberti Samo quidam nomine Sclavus manens in Quarantanis fuit dux gentis illius. Qui venientes negociatores regis Dagoberti iussit interficere et regia expoliavit pecunia. Quod dum comperit rex, misso exercitu suo dampnum quod ei de Samo contumacie intulerat iusta precepit ultione puniri. Non multo post tempore ceperunt Huni eosdem Quarantanos hostili seditione graviter affligere. Fuitque tunc dux eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos ire Bawaris nuntiari fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes expugnaverunt Hunos, et obfirmaverunt Quarantanos, servitutique eos regum subiecerunt, similiterque fines eorum. Duxeruntque inde obsides secum in Bawariam. Inter quos erat filius Boruth nomine Karastus, quem pater eius more christiano nutriri et baptizari postulavit. Quod ita factum est. Similiter de Cheitmaro filio fratris sui fieri rogavit. Mortuo autem Boruth iussu Francorum Bawari Karastum christianum factum petentibus eisdem Sclavis remiserunt, et illi eum ducem fecerunt. Sed postea ille tercio anno defunctus est. Item

autem permissione domini Pippini regis ipsis populis iterum petentibus Cheitmarus ducatum suscepit. Suggerente vero quodam presbytero nomine Maiorano, qui a sancto Virgilio in Iuvavensi monasterio manus impositionem acceperat, quem secum propter doctrinam christiane religionis detinuit, ad Iuvavense monasterium specialiter caput suum in servitium dei declinavit, singulis annis quibus vixit in signum subiectionis sue aliquod obsequium illuc persolvendo. Factis autem aliquantis temporibus prenominatus dux Quarantanorum petiit sanctum Virgilium episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod tunc ille minime implere valuit, sed sua vice misso suo episcopo nomine Modesto ad docendam illam plebem, et cum eo Wattonem, Reginbertum, Cozharium, atque Latinum presbyteros suos et Ekkardum diaconum cum aliis clericis, dansque ei licentiam ecclesias consecrare, clericos ordinare iuxta canonum diffinitionem, nichilque sibi usurpare quod decretis sanctorum patrum contrairet. Qui venientes Karantanis dedicaverunt ibi ecclesiam sancte MARIE, et aliam in Liburnia civitate, seu in aliis quam plurimis locis. Ibique Modestus episcopus permansit usque ad finem vite sue. Et non multo post orta seditione exivit inde ipse Latinus presbyter. Ea iterum sedata misit Virgilius episcopus Madalhohum presbyterum et post eum Warmannum presbyterum. Mortuo autem Cheitmaro et orta tercia seditione aliquot annis ibi presbyter nullus erat, usque dum Waltunc dux eorum misit iterum ad Virgilium episcopum et intente postulavit, ut ad confortandam in fide predictam terram aliquos destinaret presbyteros. Petitioni quoque memorati ducis, incremento sancte ecclesie consulens, misit Haimonem et Reinbaldum presbyteros atque Maioranum diaconum cum aliis clericis, viris utique religiosis et honeste conversationis. Et non multo post misit iterum ibidem eundem Haimonem et Dupliterum et Maioranum presbyteros aliosque clericos cum eis. Iterum misit eis Goharium, Maioranum, Erkenbertum presbyteros. Post eos Reinbaldum et Reinharium presbyteros, item Reinbaldum et Guntharium.

His ita gestis ad extirpandam funditus et eliminandam, si qua vigere visa est, barbarice superstitionis ydolatriam atque confortandam penitus in fide frequenti predicatorum diligentia plantatam sue dyocesis ecclesiam, prudens ac provida circumspecti pastoris vigilantia provincias ubi verbum vite ubertim seminando diu desiderabiliter optatam omnibus suis ipse visitationis presentiam exhibuit. O quanta principum cunctorumque religionis obviam illi cum pompa precedentium exultatio, quam laudabilis spiritalium virorum vicissim stipatim, immo certatim dominum et patrem suum invitantium devotio. Quorum profecto petitionibus vero ille sanctitatis et gratie plenus omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens ecclesias consecrabat, et per Karinthiam sensim transeundo ad fines Hunorum ubi Dravus influit Danubium, que etiam postea tempore Arnonis primi